



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 20. Sancti Caroli sollicitudo erga gregem suum in pietate conservandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

rem Achillis Harlæi, qui post Soceri Sæcul. XVI.
fui obitum primi Præsidis munus obti- A.C. 1582.
nuit.

§. XX.

*Sancti Caroli sollicitudo erga gregem
suum in pietate conservandum.*

Interea sanctus Carolus Borromæus, *Giuff. vie de
S. Charles t.
6. c. 10.*
postquam Mediolanensi Ducatui no-
vus Governator præficiebatur, majo-
rem animi sui tranquillitatem nactus
pacis sibi redditæ opportunitatem eo
unice impendebat, ut cum majori sol-
licitudine gregi suo invigilare, suamque
Diæcesin perlustrare posset, quapropter
frequentius suos Ecclesiasticos congrega-
bat, ut de eorum moribus, præci-
pue vero de progressibus in pietate, &
disciplina certior fieret, atque illos suis
adhortationibus ad pristinum fervorem
revocaret, suisque sanctis præceptis cor-
ruptelas, quæ forte in Parochias irre-
pere possent, præpedire valeret: ineun-
te autem hoc anno omnem curam eo
impendebat, ne festis diebus non mo-
do durante divino officio, sed nec reli-
quo diei tempore larvati incederent, vel
ludicra spectacula, choreæ, aut alii
ejusmodi ludi instituerentur: enimvero
pio illius studio non sine maxima ani-
mi sui lætitia optatus adspirabat succes-
sus, quippe fideles dies Domino Deo sa-
cratos

Sæcul. XVI
A.C. 1582.

cratos in sacris pietatis operibus transigebant, quapropter hunc in finem gregem suum in continuis devotionis exercitiis distentum tenebat, postremis etiam diebus, quæ jejunium verum præcedunt.

§. XXI.

Sextum Concilium Provinciale a sancto Carolo celebratum.

*Giuff. l. 6. c. 13
Labbe Conc. t. 15. p. 706.
Spond. n. 21.*

Postea sanctus Carolus Borromæus die decima Maji sextam celebrabat provincialem Synodum, cui novem intererant Episcopi, iique erant Tortonenfis, Cremonensfis, Bergomensfis, Brescienfis, Astensfis, Alexandrinus, Albiensfis, Ventimiliensfis, & Casalensfis præter Aquensfis, Novarrenfis, Vercellensfis, Savonensfis, & Laudensfis Episcoporum Procuratores: postquam igitur sanctus Carolus hujus sacri confessus locum imaginibus, quæ Diæcesium in sua Provincia sitarum divos Tutellares exhibebant, exornari jusserat, ad initium hujus Concilii orationem habuit, in qua Episcopos Fratres suos ad amplectendam vitam vere Apostolicam hortabatur, & fusius excurrebat in explanandis illis Divi Pauli verbis, quæ in Actis Apostolorum leguntur: *Attendite vobis, Et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam*